



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Joannes Calybita. 15. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

chiis omnino oranti similem. Cùm ultimum proinde officium mortuo præstaret, in eo socios duos leones habuit, qui sepulchrum egestâ humo parârunt, & mœrenti Antonio crebro mœstoque rugitu, & ipsi adgemuerunt. Hinc domum revertit nimium quantum gaudens, spoliis opimis, hoc est tunicâ PAULI è foliis palmæ concinnatâ. Certè non nisi maximis quibusque diebus festis in eâ visus est superbire, ut minus ego jam mirer ab Hieronymo eam palmatæ etiam Imperatorum purpuræ prælatam, quando in illâ magnus Antonius triumphavit. *Ex S. Hieron.*

*Quàm deliciosâ fame affligitur, qui caelestis promptuarii dapibus satiatur? cui calum fit cellarium, caelestis promus exhibet ministerium; quàm feliciter miser est, qui dum terrenis eget impendiis angelicis fulcitur obsequiis: cui xenium divinitus mittitur, angelitus ministratur? S. Pet. Dam. serm. 33.*

S. JOANNES CALYBITA. 15. Ianuarii.

**I**Lle JOANNES est, qui in illustri Patriciorum familiâ Romæ natus, parentes piè nos docuit fallere. Nam adolescens admodum clam his in Syriam abiit, & vestem indutus religiosam, unico, sed delicato cibo victitavit, Angelorum pane. Post cùm parentes sæpenumerò ingereret hostis, ægrè illi sibi que facturus Romam iter instituit. Ex itinere vestem suam cum mendicantis centonibus commutat, & his spoliis superbus ad parentes ignotus divertit, tantæque filius familiæ, tanti patrimonii hæres vix malè sartam tectamque in vestibulo ædium suarum casulam impetrat. In hac ille tres annos ad invidiam sui hostis furtivo parentum aspectu fruitur. Hinc ex tuguriolo suo ad  
Superum

Superiū palatia invitatus, matrem advocat; mendicus agrè impetrat; præsentem jurejurando adigit, velit jubeat in pannuceis suis se tumulari. mox sanctum Evangelii librum, quem puer ab eâ dono acceperat, in manus tradit, atque ita oculos tandem matri aperit, ipse suos claudit. Enimverò malè officiosa velle hîc auream filio purpuram inducere; sed ilicet manus sensit tamdiu rigescere, dum piæ & ultimæ JOANNIS voluntati est obsecuta. Claruit verò sanctior hic in casâ suâ Romulus circa annum Christianum CD.LXVII. nunquam orbi tam notus futurus, nisi tam ignotus fuisset.

*Ex Surio.*

*Præferenda est Religio necessitudini, & pietas propinquitati. Ea enim est vera pietas, quæ preponit divina humanis, perpetua temporalibus: nesciunt suis parcere, qui nihil suum norunt; quoniam Sanctis omnia Deus est. S. Ambr. in Epist. ad Rom.*

S. BONITUS EPISC. 15. Januarii.

**B**ONITI virtus detecta jam tum divinitus est, cum matris adhuc utero lateret. Etenim cum hæc gravida à Sacerdote postularer, bene ut sibi precari veller, *Quin, ille retulit, bene potius tu mihi precaris Domine?* Amplius ad hæc obstupescenti, *Ne, ait, hoc à te exigere me crede, sed ab eo, quem utero foves, quem ad insulam jam nunc vocari video.* Cæterum BONITVS adultior factus, cum maxima quæque munia in Gallorum Regiâ obiret, ita Regis causam egit, ut cuivis dignitati pauperum patrocinium præferret. Ascitus inde ad Episcopatum Aivernensem, dum nocte intempestâ in templo precibus vacat, adspectabilem cum omni aulâ Reginam cæli MARGAM habet; hujus imperio rem  
divinam